



**Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

XIII. De ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, vel ab  
Excommunicato. D. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](#)

## TITULUS XI.

*De Temporibus Ordinationum, &  
Qualitate Ordinandorum.*

Contenta hoc Tit. vid. in Nuc. Theol.  
Exam. 27. n. 7.

## TITULUS XII.

*De Scrutinio in Ordine faciendo.*

**P**er SCRUTINIUM intelligitur examen de  
scientia & qualitatibus Ordinando-  
rum, tum ante Ordinationem, tum in ipsa  
Ordinatione; de quo *c. un. b. t.* dicitur:  
 „Quando Episcopus ordinans quærit, an  
 „sciant ordinandum esse dignum, assistens  
 „respondet: Quantum humana fragilitas  
 „nōesse finit & scio, testificor illum esse  
 „dignum, per quod non peccat, dummo-  
 „do contra conscientiam non loquatur.  
 „Addit Papa, interrogationem hujusmodi  
 „non in consecratione Episcopi, sed in or-  
 „dinatione Diaconi vel Presbyteri fa-  
 „ciendam.

## TITULUS XIII.

*De Ordinatis ab Episcopo, qui renun-  
tiavit Episcopatui, vel ab ex-  
communicato.*

**C.** I. In Decret. h. t. rescribit Pontifex  
 „Ep-

DE ORDIN. AB EPISC. QUI RENUNT. EPISC. &c. 95

„Episcopus vel tantum renuntiat loco, vel  
„loco simul & Dignitati? Si loco tantum,  
„Ordines, sicut antea, rogatus ab Episco-  
„po aliquo poterit conferre; si loco & Di-  
„gnitati simul, minores licite & valide ro-  
„gatus confert, quia etiam quandoque  
„a non Episcopis conferuntur; secus est  
„de Majoribus, hos enim, qui scienter  
„a tali receperit, ab eorum executione  
„suspenditur; si autem ex ignorantia, nisi  
„crassa & supina fuerit, (idem est, si ab ex-  
„communicato eos receperit, juxta c. 2.  
„h.t.) Episcopus potest dispensare. Huic  
Decretali occasionem dedit BRUNO III. qui  
dimissâ Ecclesiâ Coloniensi in Cœnobio  
Veteris Montis professus est, teste Gonz.  
per Professionem autem non solùm quis  
renuntiat loco, dimittendo Diœcesin; sed  
etiam Dignitati seu nomini Episcopali,  
sicque privatur facultate licite conferendi  
sacros Ordines, etiam obtentâ ab alio,  
quàm à Papa, licentiâ.

## T I T U L U S XIV.

### *De Ætate, Qualitate & Ordine Præficiendorum.*

De his multa aliter statuit Trid. quàm  
per antiquos Canones erat dispositum;  
actraduntur à Theologis & Casistis

in